

P. LEO KIRK (1879-1963)

Leo Kirk, filius medici, Liverpolii die 12 mart. 1879 natus, ab aetate teneberrima vocationis ad ordinem leviticum multa praebebat indicia. Studia sua sub directione filiorum Sancti Benedicti apud Downside Abbey instituta vocationem monasticam fovebant. Attamen uni ex nostris patribus de Bishop Eton casu obvenit; et cum cursum medio-classicum ad finem perduxisset, anno 1898 in novitiatum Instituti nostri ingressus est. Vota sua die 15 aug. 1899 emisit. Studia sacra apud Teignmouth in comitatu de Devon initiata, apud Mautern in provincia Austriaca complevit; et ibi festo S.P.N. Alfonsi a. 1903 sacerdotio ornatus est.

Prius per multos annos in provincia Anglica degit; deinde in vice-provinciam, quae erat in illo tempore adhuc in infantia sua, translatus est. In qua regione missionaria diversis apostolatus nostri laboribus maxima cum industria se dedit. Anno 1933 in Angliam postquam regressus erat, in Bishop Eton superior nominatus est. Quo officio sex annos functus est.

Die 2 aug. 1963, sexagesimo anno ab ordinatione sua recurrente, morbi cordis causa, festivitatibus interesse non potuit. Receptus est in proximo hospitio filiarum Caritatis, ubi eodem anno, die 21 oct., animam Deo reddidit.

Historia domus nostrae apud Bishop Eton sine memoria vitae Patris Leonis Kirk certo non erit completa. Huius memoria tam in vicinitate quam in tota provincia Anglica sine ullo dubio diu viridis manebit.

Memorabilis erat hilaritate cordis ac Regulae observatione exacta. Quod magna experientia propria sibi acquisiverat, praesertim cum iunioribus patribus communicabat, quorum in societate felicitatem invenit.

Requiescat in pace.